

Domine, patiens, ac lenis esto erga me, & omnia tibi reddam.

Syriacus.

Domine mi, longanimis esto erga me, & omnia tibi rependam.

Arabicus.

Patiens esto, & ego dabo tibi, quod tuum est.

EXPOSITIO II.



M autem non haberet, unde redderet. Rectè, ait Haymon, nostra voluntate peccare possumus, sed nostris viribus non possumus Deo satisfacere, nisi illius misericordia adfuerit, quæ vocat peccatores ad penitentiam: Iussit eum Dominus venditari. Qui enim peccat, libertatem amittit, & seruus est peccati. Ioan. 8. num. 34. Vxorẽ eius, & filios. Viguit antiquitus consuetudo aliquorum regnorum, vt cum debitor soluendo aliter non esset, creditor posset vendere etiam ipsum debitorem, vxorẽque eius, & filios. Huiusmodi quid legitur 4. Regum 4. num. 1. vbi cuiusdam propheta mortui vxor sic ait Elifæo: Ecce creditor veniet, vt tollat duos filios meos ad seruendum sibi. Fortè mandantur vxor, & filij vendi, ipsi enim ob superfluum cultum contracti debiti causæ extiterunt. Per vxorem D. Remigius, Albertus Magnus, S. Thomas intelligunt concupiscentiam, seu prauam voluntatem, per filios verò magna opera, & omnia, quæ habebat, vt nempe à suis viuiculis expoliaretur: peccata enim extremam omnium paupertatem inducunt; & reddi, quantum scilicet esset ex conflata omnium pecunia.

Procidens autem. Hic apparet, vt ait D. Remigius, humiliatio, confessio, & satisfactio. Humiliatio procedens. Confessio, cum ait: Patientiam habere in me, profitetur suorum peccatorum multitudinem, ad quam Domini patientiam requirit. Satisfactio, cum ait, Reddam tibi. Iterum premamus verba. Procidens, ad genua scilicet Domini, ab humilitate enim incipit in sua conuersione. Vide penitentia robur, facit seruum cadere à malitia, qui firmiter in illa stabat. Deinde quid sequitur? Rogabat eum, seu, vt habet Græcus, orabat eum. Ad orationem confugit, vt largiam Dei pietatem inueniat, vt ait D. Chrysoctomus, Patientiam habere in me, seu, vt habet Græcus, Longanimis esto in me. Differam tuam erga me, seu, vt inquit D. Remigius, Albertus Magnus. Vox est peccatoris poscentis tempus corrigendi, tempus mihi concede, vt penitens clamem, Et omnia reddam tibi, quantum scilicet debeo.

QVÆSTIO III.

Quare tam seuerè benignus Dominus mandat seruum, & omnia illius vendere?

18. NON solum hic apparet seueritas in eo, quòd seruus, & illius vxor, & filij traduntur venditioni, sed etiam quòd per ministros hoc mandat exequi, vt communiter intelligitur illud, Iussit eum Dominus venditari. Supra enim per se ipsum posuit rationem cum seruo, vt misericordiat gratiam illi impetraret. Cum autem ad

venditionem, utpote summi rigoris opus deuenitur, hoc totum ministris committit; in eis enim nulla pietas, sed ingens seueritas præualet; vt sic vndique in hoc negotio districta se exhiberet. Ad quid tantus rigor?

Respondet primò D. Chrysoctomus homil. 2. in Parabolam decem talent. tom. 5. Quamobrem ante rationem positam non remisit debitum? volens, vt disceret, quantis eum debitis liberaret. Euthymius. Si valde facile, inquit, remissionem percepisset, scilicet seruus, futurum erat, vt gratia magnitudinem non cognosceret: propter hoc ergo in magnam necessitatem eum rediit, vt ad memoriam in posterum renouare posset, qua condemnatione absolutus esset. Vltimis miseriam terminis seruus à Domino contingitur, vt cognoscat excellentiam beneficij, cum à tot debitis, quibus erat onustus, se ereptum videat. Tanta est enim humana ingratitude, vt necesse sit, veluti quodam artificio ad recognitionem donorum compelli. D. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioan. cap. 34. Gratissimum, ait, videri solet beneficium, quando imminente periculo, necessario expellatur: aliter animus hominis beneficij magnitudinem non cognoscit.

Secundò. Tanta seueritas, vt peccator coactus miseriam sui status conditionem recognoscat. Cum mandatur venditari, iam amittit Dominum suum, scilicet Deum, deindeque omnia gratiæ bona, & ad Diaboli transit mancipium. Cum vendatur, iam sibi perdit vsum propriæ vitæ, cum alterius sit, alterique viuat. Cum vendatur, iam suum perdit honorem, seruus enim constituitur. Cum vendatur, vxoris, ac filiorum sit expers. Cum vendatur, etiam omnia bona sua, quæ habebat, perdit. O vtinam homines recogitarent, quot mala illis inferunt peccata, tam in ordine supernaturali, quam naturali. In supernaturali amittit Deum, indeque omnia gratiæ bona. In naturali verò propriam vitam, honorem, & omnia quæ habet homo. D. Gregorius Nazianzenus Orat. 16. Libertas, ait, & diuitia in sola mandati obseruatione sita sunt, quemadmodum contra pauperas, & mala in illius violatione.

Tertiò D. Chrysoctomus homil. 2. super hanc Parabol. tom. 5. Non ex credulitate, aut in humanitate in eum rursus damnatum conuertebatur; sed ex ineffabili in eum prouidentia. Volebat enim illum huiusmodi terrore minis, quoad sibi supplicandum, ne vendideretur, excitaret. Volebat Dominus seruum misereri: districto rigore erga eum se exhibet, vt seruus tanta sua miseria exciteretur, vt exorando ad Domini pietatem confugiat, indulgentiamque obrineat.

Post commissum magnum Idololatriæ scelus in adoratione vituli, ait Deus Moyfi: Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, Exod. 32. num. 10. Deus à nullo dependet; quomodo sic loquitur, quasi Moyfi voluntati subordinatus? Cur commissio illo infami, & stupendo crimine, illico non vibrat fulgura in perfidorum capita? Ad quid se dicit veluti ligatum? Ne ob grauitatem exorandi delicti frigeret Moyfes, rogationes multiplicare non audens, se pronuntiat Deus illius precibus tanquam astrictum, vt inde maiori fiducia concepta feruidius orationibus instaret pro populo, illique indulgentiam impetraret. Stephanus Cantuariensis apud Tilman. Dimitte me, ait, Quasi tu tenes me, vel tenere potes: per hoc ergo deus fiduciam exorandi, & impetrandi pro eis; si enim velles verberare filium, & diceres sedenti iuxta te,

dimitte me, vt verberem filium meum, nome quodammodo hortaberis, vt te exoraret, ne verberares eum? Temis ergo Moyfes Deum, seruus Dominum, creatura Creatorem.

dimitte me, vt verberem filium meum, nome quodammodo hortaberis, vt te exoraret, ne verberares eum? Temis ergo Moyfes Deum, seruus Dominum, creatura Creatorem.

23. 2. Reg. 24. Distincto gladio percutiebat Angelus Ierusalem pestilentia, aitque Deus Angelo percutienti populum, sufficit: nunc contine manum tuam. 2. Reg. 24. num. 16. Statim sequitur: Dixitq. Dauid ad Dominum, cum vidisset Angelum percutientem populum, Ego sum, qui peccavi. Si Angelus iussu Dei iam sifterat in plaga, cur se Dauid ostentat vultu truci; & igneo, quasi cum euaginato gladio minans adhuc populum feriret? Ad quid tendit huiusmodi terrificæ præsentia, tanquam mortem incutiens? Volebat Deus pestis sagittas à populo auertere, hoc tamen disponebat, Dauid oratione fieri: exhibet se Angelus adhuc mortifero morbo populum cadentem, vt exinde exciteretur Rex, vt pro ouibus preces effunderet, vt illis misericordiam impetraret. Pulchre D. Ambrosius commentar. in Psalm. 37. Si mandauerat Dominus, inquit, Angelo, vt parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus, nisi quia Dominus, & si vult ignoscere, vult rogari, & ut rogetur, hortatur.

QVÆSTIO IV.

Quare pauper seruus audeat spondere, se omnia Domino suo redditurum?

24. Nazianz. RESPONDET primò D. Gregorius Nazianzenus Orat. 17. Ad bonum enim, & facilem Dominum accesserat. In multa talentorum summa deprehensus erat seruus debitor: & tamen audax rogat, Patientiam habere in me, &c. Vnde iniquo seruo tanta præsentia, vt herum sibi iratum precibus aggrediat, & bona spe credat flecti posse ad pietatem? Agnoscebat seruus herum suum esse Deum, natura bonum, & pium, flectique facilem; magnum, & excelsum in misericordia; de cuius adiutamine sperabat, se posse pro omnibus suis debitis reddendis impetrare patientiam, indeque reus audax est in poscenda venia.

25. Chrysoct. Secundò D. Chrysoctomus homil. in Parabol. decem millium talent. tom. 3. fol. 804. Non fastus est, se nihil habere, quod redderet; sed hic mos est debitorum, vt in summa inopia, promittant tamen, quo præsens periculum elabi possint. Quomodo pauper seruus, & ad magnas angustias redactus solueret mille ducentos miliones aureorum? Sagaciter tamen tempus extrahit, moras nectit, dicens, Patientiam habere in me, & omnia reddam tibi. Magnæ enim prudentiæ est, in re eximij ponderis tempus interponere, vt totum negotium in meliorem fortunam commutetur, vt ita præsens periculum elabi possint.

26. Chrysoct. Tertiò idem D. Chrysoct. Audiamus, quotquot ignaui sumus ad preces, quanta sit obsecrationum vis; non ieiunium ostentauit, non vltroniam paupertatem, aut aliquid istiusmodi, sed desertus, sed nudus omnis virtutibus, ubi se ad obsecrandum conuertit, eo solo potuit Dominum ad misericordiam pertrahere. Cum multo debito onustus esset homo, & non haberet, quid redderet, non paupertatem suam proposuit, nec ieiunium ostentauit, nec quid aliud simile dixit, sed tantum ad orationem confugit. Patientiam habere in me. Sicque illa sola remissionem impetravit, omniaque est adsecutus. Dimisit illi omne debitum.

27. Palatius. Quarto Palatius. Adeo confidenter promittebat iste satisfactionem operum, quia nouit, per penitentiam applicare sanguinem Christi, qui cum sit infiniti valoris, profecto omnia talenta valet. Non mirum, quòd iste seruus, quamuis valde pauper esset, & multum pecuniæ deberet, tamen confidenter dicat, se omnia redditurum; pollicebatur enim, se Redemptoris sanguinis participem fieri, indeque, etsi in extrema degeret paupertate, confidenter tamen sperabat, se decem millia talentorum perluturum; qui enim hoc Sacratissimo sanguine reficitur, omnibus diuitiis abundat, vt omnia talenta valeat exoluere. Qui me inuenierit, inueniet vitam, & hæriet salutem à Domino. Proverb. 8. num. 35. De Sacra Eucharistia sermo est, vnde ait Hugo. Hauriet salutem à Domino, quasi à puceo pleno deliciis, ac diuitiis.

28. Quintò. Valde mirum, quòd seruus iste, qui laute, ac opulenter cum vxore, ac liberis vixerat, vt decem millia talentorum consumeret, modò tam submissus ad Domini pedes prouolutus, eius clementiam deprecatur. Vnde illi tanta deiectione? Quis dubitat, quòd contraria fortuna, casuumque aduersitas intellectum acuat, vt hominem in sanam mentem reducat, vt de præteritis respiscat, ac emendet; dicatque cum Dauid Psalm. 118. num. 71. Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.

29. Rebellaauerat Absalon contra patrem suum Dauid, omnique nixu intendebat, parentem à regno, ac vita expoliare. Dauid tamen omni exercitui suo commendabat, Seruate mihi puerum Absalon. 2. Reg. 18. n. 5. Tandem cum ipsum interfectum acciperet, magno fletu, ac lamentu ipsum est profecutus. Sed ad quid tendunt huiusmodi lachrymæ? Volebatne Dauid, vt Absalon victor existeret, triumphator euaderet? Non volebat bonus pater, vt Absalon vinceret, sed vt victus, ac humiliatus degeret. Oprime enim præcallebat prudens Rex, quòd ipsa humiliatio magnum esset deperdito iuueni excitamentum, vt cum ad salutis viam perduceret. D. Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 66. Cum innocentem puerum, ait, mortem Dauid non luxerit, idem iuuenem filium parricidalis furoris precipitem; qui & paternum cubile stupris nefariis macularat, & contra patrem sceleratum bellum gerebat, & vultu conseruatum, & fletu occisum; anima scilicet tantis criminibus involuta sempiternas præuidens penas, quibus euadendis, eum per penitentiam corrigendum, viuere cupiebat humiliatum. Expende vltima verba: Eum per penitentiam, &c. Humiliatio magna doctina, vt dirigat in salutem.

30. Multiplicate sunt infirmitates eorum postea accelerauerunt. Psalm. 15. num. 4. D. Augustinus. Post multiplicatas infirmitates accelerauerunt, vt sanarentur. D. Thomas. Multiplicate sunt infirmitates eorum. Id est penalitates ex peccato; & consequenter conati sunt ad curandam vitam, vt redimerent tempus perditum. Psalm. 82. n. 17. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum.

Matth. 18. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.

VERSIONES.

Vatablus, Intimè autem misertus Dominus serui illius, absolut



uit eum, & as alienum remisit ei. Arias. Commotus visceribus ab-soluit eum, & mutuum dimisit ei.

EXPOSITIO III.

31.



DEPRECATIONE, humilitate, ac poenitentia serui, cum promissione emendationis, & restituendi omnia, Misertus est Dominus serui illius. Dei infinita bonitas valde propensa ad miserandum, ac indulgendum, Dimisit eum, liberum scilicet a captiuitate, ac venditione, ad quam eum condemnauerat, Debitum. Græcus habet mutuum. Sic enim vocatur id, quod ex facultatibus Domini ad se translatum, suis vfi-bus appropriauerat. Dimisit ei, Ingens Domini liberalitas. Seruus obsecrauerat, vt exactionem, ac tempus differret; Dominus excedens vota, totum debitum condonauit.

Græcus.

QVÆSTIO V.

Quare Dominus non nisi post humiliatio-nem, & preces seruo dimisit debitum?

32.

Difficultas questionis.

MAXIME, vt vulgo dicitur, ad doni magnitudinem pertinet, vt ante preces sit concessum: Cur ergo magnificus Dominus non largitur, antequam sit expostulatum? Et prima solutio patet ex dictis superioribus questionibus 3, & 4. Quæ omnia hic possunt accommodari. Deinde ad hanc questionem

33.

Propria calamitas do-ctrina ad miserandum.

Respondet primò D. Chrysothomus homil. 62. in Matth. Commotus misericordia dimisit eum nec antequam supplicaret, vt calamitate sua perducus, facili ad ignoscendum conseruo fieret. In tantum augorem permissit hic seruus venire, vt multa prece Dominum rogaret, vt sic primò agnosceret sui delicti grauitatem; deinde vt sua propria miseria haberet remedium; vt in conseruos fieret patiens, & misericors: ipsa enim calamitas optima est doctrina, vt aliis miseretur. Vide tom. 2. cap. 3. quæst. 32. num. 179. ibi. cap. 5. quæst. 1. num. 68.

34.

Donum ex meritis gloriosius.

Secundò idem D. Chrysothomus citato loco. Volebat autem Rex à principio dare, sed nolebat, solum suum esse donum, sed & supplicationis illius, vt non incoronatus abscedat. Rogati vult hic magnus Rex, antequam large donet; nam, etsi gratiora sint beneficia, quæ non supplicantium interuentu, sed spontaneo affectu proueniunt; tamen quod tunc liberalitati dantis impenditur, meritum gloria accipientis subtrahitur. Præmittat seruus deprecationem, humiliationem, ac poenitentiam, vt non solum talentorum remissione muneretur, sed etiam meritum gloria, & honore magnifice laureatus recedat.

35.

Venia facilitas aliquando peccati incitatum.

Tertid. Disponebat Dominus dare indulgentiam seruo; tamen antecedenter mandat, eum simul cū vxore, ac filiis venundari; vt inde ipse genuflexo multique lachrimis, ac magno humilitatis affectu Domini pietatem deprecetur, eiusque misericordiam assequatur. Ad quid tanta seueritas, vbi tanta clementia parabatur? Vt seruus deprehendat, quòd nõ facile ei dimisso concedebatur; aliquan-

do enim multa venia facilitas, criminum est incitatum, ac adhortamentum.

36.

Cum Moyses esset in monte cum Domino, prolapsus est populus in turpissimum idololatriæ nefas. Iratus est furor Domini aduersus eum, sicque ait Moysi: Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. Multa deprecatione restitit Moyses. Placatus est Dominus, ne faceret malum, quòd locutus fuerat aduersus populum suum. Descenditque Moyses de monte, mandatque filiis Leui, quòd per medium castrorum incedentes vnusquisque interficiat proximum, & amicum suum. Cederuntque in die illa quasi viginti tria millia hominum. Tunc ait Moyses vniuerso populo: Peccatis peccatum maximum: ascendam ad Dominum, si quomodo quivero, eum deprecari pro scelere vestro. Exod. 32. num. 30. Cur Moyses sic loquitur: nonne iam antea in monte pro populo rogauerat, iamque à Domino de scelere erat concessa venia. Placatus est Dominus, ne faceret malum, &c. Cur populum ex visis tot occisis hominum millibus afflictum non consolatur manifestata remissione, quam iam obtinuerat; sed adhuc suspensum relinquit, loquens sub dubio: Si quomodo quivero, eum deprecari? Magna prudentia sic fatuit Moyses, vt peccati grauitatem agnosceret populus, cum adhuc tot millibus interfecis necesse esset, multiplicare preces ad indulgentiam impetrandam; nam si populus sciret, peccatum facile dimissum, vt in alia multa rueret, magna via pateretur. Oleaster ait: Placauerat iam vir sanctus Deum, veniamque precatu obtinuerat; noluit hoc tamen populo indicare, ne incitatum peccati fieret postmodum venia facilitas.

Exod. 32.

Venia facilitas aliquando via ad maiora peccata.

Oleaster.

37.

2. Reg. 12.

Peccauit Dauid magno adulterij crimine cum Bersabech. Quod cum ei expositum esset per Nathan prophetam, ait Dauid: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque transiit peccatum tuum. Post tamen tantam indulgentiam factam subdit Nathan: filius, qui natus est tibi, morte morietur. ibidem num. 14. Et quòd etiam Absalon crudeli bello, ac persecutione contra eum insurgeret. Ecce ego suscipio abo super te malum de domo tua, &c. num. 11. Sed cur à magno, ac magnifico Domino non datur in omnibus absoluta remissio pro tam præclarissimo contritionis actu? Cur, si condonatur culpa, non omnino etiam relaxatur poena, sed conceditur remissionis donum cum veluti pensione poenæ: filius, qui natus est tibi, morte morietur? Sublimis Dei dispositio. Ingens Dauidis poenitentia, vt omnino deleteretur culpa, à Domino obtinuerat: at optimi medici, ac parentis cautela præueniebat, ne totaliter poena esset extincta, ne inde fragilitas humana, castigationem non formidans, plusquam par erat, delinquendi ansam arriperet. Pro quo monet D. Gregorius Nazianzenus Orat. 19. Peccantibus non omnino ignoscit, ne benignitate deteriores fiant.

Poenitentia ne indulgentia sit occasio delicti.

Nazianzenus.

QVÆSTIO VI

Expenditur magna Domini in seruum liberalitas.

38.

INGENS magnificentia Domini erga hunc seruum ex multis declaratur. Et primò donum eiò datum: Quia cum se seruus vidisset tantis debitis onustum, Prouidens orabat Dominum

Ingens beneficium sine mora.

Abulens.

39.

Chrysoth.

Dei liberalitas concedit supra id, quod petitur.

40.

Alb. Magous.

Dei seruum suo dono honorat.

41.

Haymon. Excellentia beneficij ex temporis angustia.

42.

Ant. Vlyssip.

Multa bona nobis diuina preta conseru.

43.

44.

Ad Phil. 2.

Tertullian.

Dominum suum. Ille autem illico, misertus autem Dominus serui illius dimisit eum, &c. In venia impendenda Herus non moras interponit, sed, vt pote magnus princeps, & Rex, assimilatum est regnum calorum homini regi, tantum beneficium sine vlla dilatione effudit, Et debitum dimisit ei. Abulens quæst. 132. Rex scilicet, ait, quia nobilis erat, cito misertus est.

Secundò, Magnitudo doni vltra postularum. Quod perbellè ponderat D. Chrysothomus homil. 28. in Genes. Vidisti, inquit, misericordiam Domini? Ille prociat, supplicat, oret, vt longius sibi tempus presiniatur. longanimus esto in me, inquit, & omnia reddam tibi. Sed bonus Dominus, misericors, nostrisq. curam agens, supplicij beneuolus, non solum quantum petit, sed quantum nec cogitare quidem ausus fuit, dedit. Seruus iudicia temporis à Domino postulauerat, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. At excellens Dominus, non contentus est minor concedere, sed multò præstantiora supra postulatam largitur, Dimisit eum, ac debitum dimisit illi. Non tantum dat, quod petitur, sed etiam supra id, quod cogitari poterat à petente.

Tertid. Non solum præbet donum, sed etiam honorem. Albertus Magnus: Ne amplius esset seruus, dimisit eum, hoc est filium fecit, & liberum. Pro delicto commissio, & pecunia deperdita damnatus erat homo, vt ipse cum omnibus suis venundaretur, & captiuus fieret. At præclarissimus herus, non solum debitum condonauit, sed etiam à captiuitatis ignominia liberauit, Dimisit eum, excellenti honore sublimauit, vt filius & liber esset.

Quartò, Excellentia doni ea temporis opportunitate. Haymon. Iussit, eum venundari, & tunc misertus est. Ex congruitate temporis maxime beneficium commendatur. Extrema miseria seruus constringebatur, ipse enim cum suis omnibus venundari inbebatur; tunc in hac vehementi miseria adfuit Domini pietas, vt reum absolueret, & liberum faceret.

Quintò, Magnitudinem doni nobis explanat D. Antonius Vlyssipponensis serm. in Dom. 22. post Trinit. Tria facit, ait, misericordia Dei, scilicet purificat animam à vitis, locupletat Charismatum diuitis, accumulatur celestium gaudiorum delitiis. Dei misericordia purificat animam à vitis, sicque huic seruo remisit debitum. Locupletat Charismatum donis; non solum Dei pietas, interueniente nostra poenitentia, culpam nostrorum delictorum remittit, sed etiam multa, quibus anima ditatur, interiora gratiæ communcat dona. Quinta autem fuerint huic seruo dona concessa, non explicantur; sunt enim tot, ac tanta, vt sint enarratu valde difficilia. Accumulat celestium gaudiorum delicia, cum maxime se videat homo à captiuitate diaboli liberatum, & in sortem filiorum Dei assumptum.

Sextò, Excellens Domini magnitudo nil à seruo voluit accipere, sed vniuersa ei donauit. Cum enim Deus aliquid, licet exiguum accipit, tunc quodammodo videtur exinaniti, cum verò vniuersa tribuit, tunc maxime gloriosus, exaltatusque apparet.

De Christo Domino ait Paulus ad Philipp. 2. num. 6. Semetipsum exinanuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitum inuenit vt homo. Quid est, quòd cum Deus assumpsit naturam humanam dicitur, quòd se exinanuit, seu, vt legit Tertullianus, exhausit, id est euacuauit se: at verò quando ad nos venit, vt nobis suam diuinam naturam communicaret, hominè que illius per filiorum adoptionem participes faceret, dicitur nimis exaltatus. Psalm. 96. agens Propheta de aduentu Christi in carne, vt explicant Cassiodorus, D. Augustinus, D. Remigius, Haymon, Hugo, & alij, dicit: Viderunt omnes populi gloriam eius. Et subdit: nimis exaltatus est super omnes deos, ibidem num. 10. seu, vt legit Græcus; Valde super-exaltatus est. Quid est, quòd cum Deus ad nos descendit, decantatur, quòd viderunt omnes populi gloriam eius; dona nempe gratiæ, quæ in vniuersos diffundebat, tunc nimis superexaltatus, ac sublimatus super principes, ac magnates decantatur: At verò quando Deus formam serui accipit, tunc exinanitus, ac veluti minoratus astruitur à Paulo: Semetipsum exinanuit, formam serui accipiens? Cum Deus se communicat, non minuitur, nec euacuatur, sed tunc sublimior, & excellentior apparet. At cum valde exiguum, & abiectum humanæ nature sibi assumit munusculi, formam serui accipiens; tunc exinanitus ab Apostolo asseritur. In præsentem expendenda est D. Ambrosij ponderatio in Comment. Christus sciens, inquit, in forma Dei se esse, æqualem se ostendit Deo, sed semetipsum exinanuit, hoc est potestatem suam ab opere retraxit, vt humiliatus in seruari videretur, formam serui accipiens.

De Christo Domino ait Angelus ad Mariam Virginem: Dabit illi Dominus Deus sedem patris eius. Luc. 1. num. 32. Cum Angelus dicit, Dominus Deus, Æternum Patrem intelligit; Cur ergo non astruitur nomè Æterni Patris in præsentem, & dicitur; Dabit illi Dominus Deus Pater eius; sed tantum filius patris sui Dauid nuncupatur expressè, sedem Dauid patris sui: Passim Christus in tota Scriptura Filius Æterni Patris dicitur, Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. Ioan. 1. num. 18. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret; vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Ioan. 3. num. 16. Cur ergo in præsentia, non æterni Patris, sed Dauid filius ab Angelo expressè proclamatur? Cum Diuinum Verbum venit, vt hominibus diffunderet celestis doctrinæ eloquia, vt omnis, qui credit in ipsum non pereat, eiusque gratiam, & æternam vitam communicaret, tunc Vnigenitus Diuini Parentis nuncupatur. At verò, cum accipit sedem Dauid, iam non Dei filius, sed hominis debuit nominari. Sicut enim dare ad Dei maiestatem refertur; sic & accipere ad hominis exiguitatem spectat. D. Chrysothomus serm. 144. Vides, inquit, quia, quando accipit, Dauid filius dicitur, quando dat, Dei filius nuncupatur.

Cassiod. August. Remigius. Haymon. Hugo. Psalm. 96. Græcus.

Ambros.

45.

Lucæ 1.

Ioan. 1.

Ioan. 3.

Cetero Christus dat, filius Dei accipitur, bonum verò, cum accipit.

Chrysothom.

Matth. 18. num. 28.

Num. 29.

VERSIONES.

Syriacus n. 28. Et prehensum eum suffocabat